SANCTUS HILARIUS PICTAVIENSIS

Ad Constantium Augustum libri duo

SABBATISMUS

Sanctus Hilarius Pictaviensis (c. 310–367)
Ad Constantium Augustum libri duo

Textus latinus: in dominio publico.
Translatio, concordantia et editio © 2026 Inversiones San Juan Diego (Sabbatismus). Creative Commons Attribution-ShareAlike 4.0 International (CC BY-SA 4.0).

Sabbatismus: officina editoria fundationis Inversiones San Juan Diego, San Pedro Sula, Honduras.
Litteris EB Garamond et Cinzel compositum.
sabbatismus.com

LIBER PRIMUS

1

Ecclesiae ne a fratribus affligantur. Judices saeculares ne cognoscant causas clericorum.

Benignifica natura tua, domine beatissime Auguste, cum benigna voluntate concordat. Et quoniam de fonte paternae pietatis tuae misericordia largiter profluit; quod rogamus, facile nos impetrare posse confidimus. Non solum verbis, sed etiam lacrymis deprecamur, ne diutius catholicae Ecclesiae gravissimis injuriis afficiantur, et intolerabiles sustineant persecutiones et contumelias, et quod est nefarium, a fratribus nostris. Provideat et decernat clementia tua, ut omnes se ubique judices, quibus provinciarum administrationes creditae sunt, ad quos sola cura et sollicitudo publicorum negotiorum pertinere debet, a religiosa se observantia abstineant: neque posthac praesumant atque usurpent, et putent se causas cognoscere clericorum, et innocentes homines variis afflictationibus, minis, violentia, terroribus frangere atque vexare.

2

Ne inviti vi subjiciantur heterodoxis. Catholicorum oppressorum vox, ne rectores locorum haereticis favorem praestent. Mysteriorum solemnia, et preces pro rege.

Intelligit singularis et admirabilis sapientia tua, non decere, non oportere cogi et compelli invitos et repugnantes, ut se his subjiciant

et addicant vi oppressi, qui non cessant adulterinae doctrinae corrupta semina adspergere. Idcirco laboratis, et salutaribus consiliis rempublicam regitis; excubatis etiam, et vigilatis: ut omnes quibus imperatis, dulcissima libertate potiantur. Non alia ratione quae turbata sunt componi, quae divulsa sunt coerceri possunt; nisi unusquisque nulla servitutis necessitate adstrictus, integrum habeat vivendi arbitrium. Certe vox exclamantium a tua mansuetudine exaudiri debet: Catholicus sum, nolo esse haereticus; Christianus sum, non Arianus: et melius mihi in hoc saeculo mori, quam alicujus privati potentia dominante castam veritatis virginitatem corrumpere. Aequumque debet videri sanctitati tuae, gloriosissime Auguste, ut qui timent Dominum Deum et divinum judicium, non polluantur aut contaminentur exsecrandis blasphemiis; sed habeant potestatem, ut eos sequantur episcopos et praepositos, qui et inviolata conservant foedera charitatis, et cupiunt perpetuam et sinceram habere pacem. Nec fieri potest, nec ratio patitur, ut repugnantia congruant, dissimilia conglutinentur, vera et falsa misceantur, lux et tenebrae confundantur, dies quoque et nox habeant aliquam conjunctionem. Si igitur, quod sine dubitatione et speramus et credimus, haec permovent non insitam, sed ingenitam tuam bonitatem; praecipe ut non studium, non gratiam, non favorem, locorum Rectores gravissimis haereticis praestent. Permittat lenitas tua populis, ut quos voluerint, quos putaverint, quos delegerint, audiant docentes, et divina mysteriorum solemnia

concelebrent, et pro incolumitate et beatitudine tua offerant preces.

3

Suspicio seditionis eximitur. Arianorum astus.

Non quisquam perversus aut invidus maligna loquatur: nulla quidem suspicio est non modo seditionis, sed nec asperae obmurmurationis. Quieta sunt omnia, et verecunda. Et nunc, qui Ariana et pestifera contagione inquinati sunt, non cessant ore impio et sacrilego animo evangeliorum sinceritatem corrumpere, et rectam apostolorum regulam depravare. Divinos prophetas non intelligunt. Callidi et astuti artificio quodam utuntur, ut inclusam perniciosam corruptelam inquisitorum verborum velamine contegant, et non prius venenatum virus effundant, quam simplices et innocentes sub praetextu nominis Christiani raptos atque irretitos, ne soli pereant, participes horrendi criminis sui reos faciant.

4

Sacerdotes pii ad suas sedes remeent.

Et hoc obsecramus pietatem tuam, ut eos, qui adhuc (egregii videlicet sacerdotes, qui tanti nominis praepollent dignitate), aut in exsilio, aut in desertis locis tenentur, jubeas ad sedes suas remeare: ut ubique grata libertas sit, et jucunda laetitia.

5

Ariana haeresis novella.

Quis non videt, quis non intelligit? Post quadringentos fere annos, post quam Dei unigenitus Filius humano generi pereunti subvenire dignatus est, quasi ante non apostoli, non post eorum martyria et excessus fuerint Christiani, novella nunc et teterrima lues, non corrupti aeris, sed exsecrandorum blasphemorum, Ariana effusa est. Ita illi, qui ante crediderunt, inanem spem immortalitatis habuerunt? Nuper didicimus commenta haec fuisse inventa et a duobus Eusebiis et a Narcisso et a Theodoro et ab Stephano et Acacio et Menophanto, et imperitis atque improbis duobus adolescentibus Ursacio et Valente: quorum epistolae proferuntur, et idoneis testibus etiam convincuntur, qui eos magis oblatrantes quam disputantes audierunt. Quibus qui communionem suam imprudenter et incaute commiscent, quia sunt socii scelerum, participes criminum necesse est etiam eos, qui jam in hoc saeculo abjecti sunt et abdicati, cum advenerit dies judicii, pati supplicia sempiterna.

6

Litterae et legatio post absolutionem Athanasii. Arianorum crudelitas.

Jam nemini dubium est, cujuscemodi curam in absolutionem Athanasii, sancti illi viri receperint: ut post synodi sententias, quas, pro sacerdotalis judicii reverentia, fas fuerat sacerdotali vel ecclesiastica conscientia contineri, scribi ad regem, legationemque instrui oportuerit. Sed quid aliud his litteris, quam libertatem fidei et

contagionem Ariani nominis deprecantur, orantque vincula, carceres, tribunalia, et omnem illum feralem habitum, novas etiam in reos quaestiones inhiberi? Deus cognitionem sui docuit potius, quam exegit: et operationum coelestium admiratione praeceptis suis concilians auctoritatem, coactam confitendi se adspernatus est voluntatem. Si ad fidem veram istius modi vis adhiberetur; episcopalis doctrina obviam pergeret, diceretque: Deus universitatis est Dominus, obsequio non eget necessario, non requirit coactam confessionem. Non fallendus est, sed promerendus. Nostra potius, non sua causa venerandus est. Non possum nisi volentem recipere, nisi orantem audire, nisi profitentem signare. Simplicitate quaerendus est, confessione discendus est, charitate amandus est, timore venerandus est, voluntatis probitate retinendus est. At vero quid istud est, quod sacerdotes timere Deum vinculis coguntur, poenis jubentur? Sacerdotes carceribus continentur, plebs in custodia catenati ordinis constricta disponitur, virgines nudantur ad poenam, et sacrata Deo corpora, publico exposita conspectui, ad fructum spectaculi et quaestionis aptantur. Cogunt nempe, non ut Christiani omnes sint, sed ut Ariani: et confessam in Deo fidem ad consortium piaculi sui scelere compellunt. Auctoritate etiam nominis sui in errorem Imperatorem transducunt: rectum affirmantes, ut sub specie timoris Dei, in hac perversitate subditos sibi tradant. Quaestiones poscunt, judiciorum subsidia desiderant, auctoritatem regiam implorant: et nec sic perversitatem sceleris sui

erubescunt, extorquere conniventiam plebium nec cogendi jure potuerunt.

7

Judicialis forma in causa Athanasii non servata.

Haec si de veteribus chartulis prolata aetatis nostrae tempus instruerent; ambigendum, ut opinor, tantis de rebus fuisset. Et cum ab aliis quibusque pronuntiari posceretur reus; quaereretur in fidem litterarum, in judicum vitam, in accusatorum fidem, in ipsius quoque hominis mores atque actus. Moveret enim absolutionem ejus Arianorum juncta damnatio: magnique periculi esset, judicium simul cum reatus et innocentiae non suscepta rursum inquisitione dissolvere: totaque in patrocinium suum, cum fidei doctrina, auctoritas sibi antiquitatis assisteret. At cum ipsi, qui tunc Ariani haeretici damnati sunt, rem exagitent, turbent omnia, omnesque ex potestate et ambitione corrumpant, et Athanasius si fuit, esse adhuc reus potest; testes loquantur, videant judices, fidei doctrina praeceptis evangelicis atque apostolicis eluceat: quae obtusio intelligentiae est? quae cordis hebetudo? quae oblivio spei? qui amor scelerum? quod odium veritatis? in damnatorum favorem, Dei amorem transducunt.

8

Eusebii Vercellensis injusta damnatio.

Venio nunc ad id, quod recens gestum est, in quo se etiam professio sceleris in secreto artis

suae dedignata est continere. Eusebius Vercellensis episcopus est vir omni vita Deo serviens. Hic post Arelatensem synodum, cum Paulinus episcopus tantis istorum sceleribus contraisset, venire Mediolanum praecipitur. Collecta jam illic malignantium synagoga, decem diebus ad Ecclesiam est vetitus accedere, dum adversus tam sanctum virum malitia se perversa consumit. Suppuratis deinde consiliis omnibus, ubi libitum est, advocatur. Adest una cum Romanis clericis, et Lucifero Sardiniae episcopo. Conventus ut in Athanasium subscriberet, ait, De sacerdotali fide prius debere constare; compertos sibi quosdam ex his, qui adessent, haeretica labe pollutos. Expositam fidem apud Nicaeam, cujus superius meminimus, posuit in medio: spondens omnia se, quae postularent esse facturum, si fidei professionem scripsissent. Dionysius Mediolanensis Episcopus chartam primus accepit: ubi profiteri scribendo coepit, Valens calamum et chartam e manibus ejus violenter extorsit, clamans non posse fieri, ut aliquid inde gereretur. Res post clamorem multum deducta in conscientiam plebis est: gravis omnium dolor ortus est, impugnata est a sacerdotibus fides. Verentes igitur illi populi judicium, e Dominico ad palatium transeunt. Cujusmodi sententiam in Eusebium longe ante, quam ecclesiam ingrederetur, scripserint: de se loquitur ipsa sententia.

LIBER SECUNDUS

1

Hilarius in regis praesentia.

Non sum nescius, piissime imperator, ea quae de nonnullis negotiis ad conscientiae publicae audientiam proferantur, pro dignitate eorum qui eloquuntur, vel gravia existimari solere, vel levia: dum distantibus opinionibus, ambiguam sententiam ad studium intelligentiae promovet hominis contemptus, aut gratia. Sed mihi apud te de divina re pia dicturo, nullus vulgatae consuetudinis metus est: quia, cum sis bonus ac religiosus, nec vitium judicii apud prudentes religionum, quid a quo audiat, sed an quae audiat sint religiosa, dijudicet. Et quia mihi a Deo praesentiae tuae opportunitas praestita est, nec erga haec quidem conscientiae meae cessavit officium: ut in eum, quem apud te habeo de religione sermonem, indignitas forte aliqua tecum loquentis offendat.

2

Galliae Ecclesiis communicat. Exsulat factione. De sua innocentia securus.

Episcopus ego sum in omnium Gallicarum ecclesiarum atque episcoporum communione, licet in exsilio, permanens, et Ecclesiae adhuc per presbyteros meos communionem distribuens. Exsulo autem non crimine, sed factione; et falsis nuntiis synodi ad te imperatorem pium, non ob aliquam criminum meorum conscientiam, per impios homines delatus. Nec levem habeo querelae meae testem dominum meum religiosum Caesarem tuum Julianum: qui plus in exsilio meo contumeliae a malis, quam ego injuriae, pertulit. In promptu enim sunt pietatis vestrae

litterae: falsa autem eorum omnia, quae in exsilium meum procuraverunt, non in obscuro sunt. Ipse quoque vel minister, vel auctor gestorum omnium, intra hanc urbem est. Circumventum te Augustum, illusumque Caesarem tuum ea confidens conscientiae meae conditione patefaciam, ut si indignum aliquid non modo episcopi sanctitate, sed etiam laici integritate gessisse docear, non jam sacerdotium per veniam exspectem, sed intra poenitentiam laici consenescam.

3

Audiri rogat exsilii sui auctore praesente. Libelli hujus causae.

Haec autem nunc, dignantissime imperator, arbitrio tuo derelinquo, quatenus et quomodo me jubes loqui, et ea quae maxime tecum in tempore hoc agenda sunt prosequor. Dabis quidem id in praesens instructionis ad causam, ut praesentem eum, cujus ministerio exsulo, usque ad confessionem falsorum quae gessit adducam. Sed nihil de eo, nisi cum jusseris, loquar. Nunc autem, quia mihi metus est de mundi periculo, de silentii mei reatu, de judicio Dei, cura autem est de spe, de vita, de immortalitate non tam mea, quam tua, universorumque. Quae quia mihi cum plurimis communis est, haec a me communis spei exspectatio est.

4

Constantius optat fidem audire ab episcopis et non audit. Fides in baptismo jurata. Fides subinde nova et ideo nulla.

Recognosce fidem, quam olim, optime ac religiosissime imperator, ab episcopis optas audire, et non audis. Dum enim a quibus ea requiritur, sua scribunt, et non quae Dei sunt praedicant; orbem aeternum erroris et redeuntis in se semper certaminis circumtulerunt. Oportuerat enim, humanae infirmitatis modestia, omne cognitionis divinae sacramentum illis tantum conscientiae suae finibus contineri quibus credidit, neque post confessam et juratam in baptismo fidem in nomine Patris et filii et Spiritus sancti, quidquam aliud vel ambigere, vel innovare. Sed quorumdam aut praesumptio, aut facilitas, aut error, apostolicae doctrinae indemutabilem constitutionem partim fraudulenter confessa est, partim audacter egressa: dum in confessione Patris et Filii et Spiritus sancti veritatem naturalis significationis eludit, ne id maneret in sensu, quod in regenerationis sacramento est confitendum. Ob hoc penes quorumdam conscientiam nec Pater pater, nec Filius filius, nec Spiritus sanctus spiritus sanctus est. Sub cujus necessitatis tamquam improbabili occasione, scribendae atque innovandae fidei exinde usus inolevit. Qui post quam nova potius coepit condere, quam accepta retinere; nec veterata defendit, nec innovata firmavit: et facta est fides temporum potius quam Evangeliorum, dum et secundum annos describitur, et secundum confessionem baptismi non tenetur. Periculosum nobis admodum atque etiam miserabile

est, tot nunc fides exsistere, quot voluntates; et tot nobis doctrinas esse, quot mores; et tot causas blasphemiarum pullulare, quot vitia sunt: dum aut ita fides scribuntur ut volumus, aut ita ut nolumus intelliguntur. Et cum, secundum unum Deum et unum Dominum et unum baptisma, etiam fides una sit, excedimus ab ea fide quae sola est: et dum plures fiunt, ad id coeperunt esse, ne ulla sit.

5

Unde tot fides scribantur. Fides quater mutata.

Conscii enim nobis invicem sumus, post Nicaeni conventus synodum, nihil aliud quam fidem scribi. Dum in verbis pugna est, dum de novitatibus quaestio est, dum de ambiguis occasio est, dum de auctoribus querela est, dum de studiis certamen est, dum in consensu difficultas est, dum alter alteri anathema esse coepit: prope jam nemo Christi est. Incerto enim doctrinarum vento vagamur: et aut dum docemus, perturbamus; aut dum docemur, erramus. Jam vero proximi anni fides, quid jam de immutatione in se habet? Primum, quae homousion decernit taceri: sequens rursum, quae homousion decernit et praedicat: tertium deinceps, quae usiam simpliciter a patribus praesumptam, per indulgentiam excusat: postremum quartum, quae non excusat, sed condemnat. Et quo tandem processum est? ut neque penes nos, neque penes quemquam ante nos, sanctum exinde aliquid atque inviolabile perseveret. De similitudine autem Dei filii

ad Deum patrem quod si miserabilis nostri temporis fides est, ne non aut ex toto, aut tantum ex portione sit similis; egregii scilicet arbitri coelestium sacramentorum, conquisitores invisibilium mysteriorum, professionibus de fide Dei calumniamur. Annuas atque menstruas de Deo fides decernimus, decretis poenitemus, poenitentes defendimus, defensos anathematizamus; aut in nostris aliena, aut in alienis nostra damnamus; et mordentes invicem, jam absumpti sumus ab invicem.

6

Fides evangelica corrumpitur.

Fides deinde quaeritur: quasi fides nulla sit. Fides scribenda est: quasi in corde non sit. Regenerati per fidem, nunc ad fidem docemur, quasi regeneratio illa sine fide sit. Christum post baptisma discimus; quasi baptisma aliquod esse possit sine Christi fide. Emendamus, quasi in Spiritum sanctum peccasse sit venia. Sed impietatis ipsius hinc vel praecipue causa perpetua est, quod fidem apostolicam septuplo proferentes, ipsi tamen fidem evangelicam nolumus confiteri: dum impietates nostras nobis in populis multiloquiis defendimus, et magniloquentiae vanitate aures simplicium verbis fallentibus illudimus; dum evitamus de Domino Christo ea credere, quae de se docuit credenda, et per speciosum pacis nomen in unitatem perfidiae subrepimus, et sub rejiciendis novitatibus rursum ipsi novis ad Deum vocibus rebellamus, et sub Scripturarum vocabulo non scripta mentimur: vagi, prodigi,

impii, dum et manentia demutamus, et accepta perdimus, et irreligiosa praesumimus.

7

Ad fidem in baptismo confessam redeundum.

Quod hieme undoso mari observari a navigantibus maxime tutum est, ut naufragio desaeviente, in portum ex quo solverant revertantur; vel incautis adolescentibus convenit, ut cum in tuenda domo sua, mores paternae observantiae transgressi, profusa libertate sua usi sunt, jam sub ipso amittendi patrimonii metu solus illis ad paternam consuetudinem necessarius et tutus recursus sit: ita inter haec fidei naufragia, coelestis patrimonii jam pene profligata haereditate, tutissimum nobis est, primam et solam evangelicam fidem confessam in baptismo intellectamque retinere, nec demutare quod solum acceptum atque auditum habeo bene credere: non ut ea, quae synodo patrum nostrorum continentur, tamquam irreligiose et impie scripta damnanda sint, sed quia per temeritatem humanam usurpantur ad contradictionem, quod ob hoc sub nomine novitatis Evangelium negaretur, ut periculose tamquam sub emendatione innovetur. Quod emendatum est, semper proficit, ut dum omnis emendatio displicet, emendationem omnem emendatio consecuta condemnet: ac si jam, quidquid illud est, non emendatio aliqua sit emendationis, sed coeperit esse damnatio.

8

Audientiam rogat Hilarius, fidem e Scripturis ostensurus.

In quantum ego nunc beatae religiosaeque voluntatis vere te, domine Constanti Imperator, admiror, fidem tantum secundum ea quae scripta sunt desiderantem: et merito plane ad illa ipsa unigeniti Dei eloquia quia festinans, ut imperatoriae sollicitudinis capax pectus etiam divinorum dictorum conscientia plenum sit. Hoc qui repudiat, antichristus est, et qui simulat, anathema est. Sed unum hoc ego per hanc dignationis tuae sinceram audientiam rogo, ut praesente synodo, quae nunc de fide litigat, pauca me de Scripturis evangelicis digneris audire, et loquar tecum verbis Domini mei Jesu Christi, cujus vel exsul sum, vel sacerdos. Habent enim vasa testea non ignobiles thesauros: et infirmiora corporum magis reverenda sunt: et apud nos modo Deum indocti piscatores locuti sunt. Super humilem et trementem verba sua, secundum prophetam, Deus respicit. Fidem imperator quaeris: audi eam, non de novis chartulis, sed de Dei libris. Scito et posse eam in Occidente donari, unde venientes in regno Dei cum Abraham et Isaac et Jacob recumbent. Memento eam non quaestionem philosophiae esse, sed Evangelii doctrinam. Non tam mihi autem rogo audientiam, quam tibi atque ecclesiis Dei. Ego enim penes me habeo fidem, exteriore non egeo: quod accepi teneo, nec demuto quod Dei est.

9

Scripturas haeretici suas ad partes trahunt.

Sed memento tamen, neminem haereticorum esse, qui se nunc non secundum Scripturas praedicare ea, quibus blasphemat, mentiatur. Hinc enim Marcellus Verbum Dei cum legit nescit. Hinc Photinus hominem Jesum Christum cum loquitur ignorat. Hinc et Sabellius, dum quod ego et Pater unum sumus non intelligit, sine Deo patre et sine Deo filio est. Hinc et Montanus per insanas feminas suas paracletum alium defendit. Hinc et Manichaeus et Marcion legem odit: quia littera occidit, et mundi princeps diabolus est. Omnes Scripturas sine Scripturae sensu loquuntur, et fidem sine fide praetendunt. Scripturae enim non in legendo sunt, sed in intelligendo; neque in praevaricatione sunt, sed in charitate.

10

Sermonis, cujus copia rogatur, modus.

Audi, rogo, ea quae de Christo sunt scripta: ne sub eis ea quae non scripta sunt praedicentur. Submitte ad ea, quae de libris locuturus sum, aures tuas: fidem tuam ad Deum erigas. Audi quod proficit ad fidem, ad unitatem, ad aeternitatem. Locuturus tecum sum cum honore regni et fidei tuae, omnia ad Orientis et Occidentis pacem proficientia, sub publica conscientia, sub synodo dissidenti, sub lite famosa.

11

Pignus futuri sermonis.

Praemitto interim pignus futuri apud te sermonis mei. Non aliqua ad scandalum, neque

quae extra Evangelium sunt, defendam: sed intelliges a me in sacramento solius Dei veri, et quem misit Jesum Christum, praedicari unum Deum patrem ex quo omnia, et unum Dominum Jesum Christum per quem omnia, natum ex Deo, qui est ante tempora aeterna, et erat in principio apud Deum Deus Verbum: qui est imago Dei invisibilis, in quo habitat omnis plenitudo divinitatis corporaliter qui cum in forma Dei esset, humilians se salutis nostrae causa, formam servi ex conceptu Spiritus sancti de virgine accepit, factus obediens usque ad mortem, mortem autem crucis: et post resurrectionem mortis deinde in coelestibus sedens, aderit judex vivorum et mortuorum, et rex omnium aeternorum saeculorum. Est enim unigenitus Deus, et Deus verus, et Deus magnus, et super omnia Deus: et omnis lingua confitebitur, quia Dominus Jesus Christus in gloria Dei patris est. Haec ego in Spiritu sancto ita credidi, ut ultra hanc de Domino Jesu Christo fidem non possim doceri: non per haec adimens patrum fidei religionem, sed secundum regenerationis meae symbolum, et doctrinae evangelicae scientiam, ab ea juxta ista non dissonans.